



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Dormi Secvre: Vel Cynosvra Professorvm Ac Stvdiosorvm Eloquentiæ,**

in qua Centvm Et Viginti Themata Oratoria. Non Solvm Stvdiosis, Sed &  
Professoribus eloquentiæ, ac pietatis veræ amantibus utilissima &  
pernecessaria explicantur ; Cum Indice rerum atq[ue] verborum locupleti

**Tympe, Matthäus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1650**

LXI. In luxum vestium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38994**

## LXI. IN LVXVM VESTIVM.

**I**N EXORDIO *breviter demonstrabis*, quàm longè lateque superbia suos fines, cum magno salutis mortalium detrimento, propagare conetur: neque enim duntaxat Regum palatiis contineri se patitur, sed rusticorum casas & opificum officinas etiam invadit, maximè ea, quæ in vestibus exornandis est occupata.

PROPOSITIO: Te quantopere vestium luxus fugiendus sit, demonstraturum.

CONFIRMATIONIS I. *Locus ab inhonesto.* Turpe est Christiani hominis nomen præ se ferre, & non ea imitari, in quibus se exercuisse primos fidei nostræ præcones, atque aded ipsum Christum, assertorem totius humani generis, confirmant, sacrarum litterarum monumenta. Rectè enim ait Cypr. de habitu Virginum: *Si non est major domino servus, & liberatori debet obsequium liberatus, qui esse cupimus Christiani, debemus quod Christus fecit & docuit, imitari? Scriptum est enim (1. Joan. 28.) &c. Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare.* At illi se exercuerunt in humilitate, paupertate & vanæ gloriæ contemptu, nec vana vestium cura fuerunt occupati. Imò quod Christus luxum vestium damnavit, utilitatem verò probavit, declarat B. Gregor. his verbis: *Hom. 4. in*  
*Sunt nonnulli, qui cultum subtilium pretiosarumq; ve-* *Evang.*  
*stium non putant esse peccatum, quod si culpa non esset,*  
*nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quòd*  
*dives, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura*  
*indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa, nisi*  
*ad inanem gloriam querit, ut honorabilior cæteris esse*  
*videatur, &c. Et: Si abjectio subtilis indumenti virtus* *Matt. 3. v. 4.*  
*non esset, Evangelista vigilanter de Ioanne non diceret:* *Est. 14. v. 16*  
*Erat indutus pilis camelorum. Certè hic luxus repu-*  
*gnat non solum Christi exemplo, sed & aliorum*  
 O 5 *fideli-*

Heb. 11. v. 37.
 fidelium Veteris & Novi Testamenti. Nonne enim Deus Adamum & Evam pelliceis induit vestimentis? Nonne Regina Hester dicebat ad Dominum: *Tu nosti quòd oderim insigne capitis mei, hoc est diadema, & tanta ducam immunditia, velut pannum menstruata.* Nonne B. Joannis Baptistæ exemplum imitari sunt, qui apud Apostolum *circumierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, &c.* Sic etiam Paulus primus Eremita, Antonius, Arsenius, Macarii, Hilarion, Pachomius, & innumerabiles alii, vilissimo habitu fuerunt contenti, quo nonnunquam etiam ditissimos homines ad sui imitationem permoverunt.

Adhæc æquè turpe est gloriari in vestitu, atque gloriari de stigmate ob furtum fronti iniusto, cum vestitus sit signum & monumentum inobediendiæ, & prævaricationis nostræ in Adamo Protoplaste.

Sut. in Aug.
 II. Locus ab incommodis. Nam PRIMÒ, luxu vestitum gaudens, non cognoscit seipsum, seu ostendit, quam parum memor sit antiqui illius, oraculi, *ὄψιλὸς σακίου*. Si enim intelligeret corpus suum esse saccum stercoreum, cloacam sordium, cibum vermium, & stagnum infra supraque; fœtores exhalans, illud vermium operibus & feritis exornare non studeret. *Andreas S. Bernardi* frater, cum aliquando amborum soror exquisito culta ornata ad fores Monasterii Clarævallis venire ausa fuisset, eam *stercus involutum* appellavit, quo convitio illa percussa, tandem & cultui, & mundo, Sanctimonialis facta renuntiavit.

Ca. 19. v. 27.
1. Ti. 2. v. 1.
Epist. 27.
 SECUNDÒ, Curiositas vestium est indicium deformitatis mentium, & perversorum morum, in primis superbæ, vanæ gloriæ, luxuriæ, & causa scandaliorum. Hinc Syracides: *Amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis enuntiant de eo.* Apostolus cum pretiosas vestes mulieribus interdixisset, subjecit: *sed quod decet mulieres, promittentes*

entes pietatem per opera bona. Quid enim sobriè vestita aliud promittit, quam castitatem? compta verò aliud, quam impudicitiam. S. Hieron. de Paula Romana scribit: *Se vidisse fœminam aliquam comptiorem, contractione frontis & vultus tristitia arguebat errantem, dicens munditiam corporis atque vestitus animæ esse immunditiam.* Cyprianus de habitu Virginum: *Si, ait, tu te sumptuosius comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendas, ut etsi ipsa non pereas, alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum videntibus præbeas, excusari non potes, quasi mente casta sis, & pudica. Redarguit te cultus improb. & impudicus ornatus.* Apud Suetonium celebratur hoc Augusti Ethnici Caesaris dictum: *Vestitus insignis ac mollis superbia vexillum est nidusq; luxuria.*

TERTIO, Cultu hoc corporis mulieres in primis maximam faciunt jacturam temporis, de quibus jam olim Comicus: *Dum poliuntur, dum comuntur, annus est.*

III. Locus ab exemplo Ethnicorum, qui sola naturali ratione ducti, hunc luxum detestati sunt. Octavianus Augustus simplici amictu utebatur, & licentiosem in filia sua Julia reprehendit. Severum Imp. cum quidam viliori amictu contentum admirarentur, hoc responso factum suum defendit: *Imperatoria majestas virtute constat, non corporis cultu.* Ælianus auctor est. *Lacedæmoniorum Ephoros seu summos Magistratus quotidie obire solitos ad inspectionem vestium, ne quid à decenti ornatu alienum usurpetur.* Eosdem Lacedæmonios laudat Clemens Alex. quod solis meretricibus permitterent floridas vestes & aureum mundum gestare. Similiter Athenæus ex Plutarcho restatur, apud Syracusanos cautum fuisse ne mulieres aureo ornataq;

*De Nonno Episcopo Helipolitano, & S. Pelagia vide Vituperationem Pelagii. 2. Sc. 147. 8. 5.*

ornarentur, nec floridas vestes gestarent, nec purpureos haberent contextus, nisi fortè publica esset meretrix. Hinc *Dionysius Syracusanus Junior*, cum singulos maleficos gravissimis afficeret supplicio, histamen facile ignoscebat, qui vestium & ornamentorum fures essent, quò facilius Syracusani à luxu abstinerent. Oppia lege apud Romanos interdicitum erat, ne mulieres verticoloribus induerentur vestimentis.

Consule The-  
atru Vindi-  
ca Divina.

IV. ab exemplis eorum, qui ob luxum divinitus puniti sunt, & pœnis, quas S. Scriptura huic vitio minatur, *Isa. 3. v. 24. & Jac. 5. v. 1.*

PERORATIO excitabit Auditores ut se Christianos meminerint, vestitu honesto, seu quo corpus obtegant, & contra injurias cœli muniant, sint contenti, & animæ potius salutem, quam corporis succum seu vestium nitorem curent.

**LXII. DETESTATIO VINDICATIONIS INJURIAE, seu potius, Adhortatio ad Patientiam Injuriarum.**

Matth. 5. v.  
12. 22.

IN EXORDIO explicabis, quam seridè, accuratè, & sæpè Christus doctrinam de non vindicanda injuria nobis inculcet. PRIMÒ, enim Beatos pronunciat eos, qui iniquè contumeliis oppetuntur, gaudereque & exultare jubet, ob copiosam mercedem illis paratam in cœlis. SECUNDÒ Comminatione judicii & gehennæ deterret ab illatione injuriæ, ira, & verbis probrosis. TERTIÒ, Injuriam facienti negat aditum ad Altare suum, Sacramentorumque beneficium, nisi prius reconciliatus fuerit fratri. QUARTÒ, Non vult à se gratiam vel remissionem peccatorum postulari in Oratione Dominica, nisi prius fratri remissa sit injuria, idque ex corde. QUINTÒ, vult, ut una injuria accepta, parati simus ad majorem: v. c. cæsa una maxilla ad obvertendam aliam: tunica vi erepta, ad offerendam

Matth. 18. v.  
35.